



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **QUANTAE UTILITATI** SANCTA ANNA, B. M. V. GENETRIX,
CASERTANAЕ

CIVITATIS CAELICA PATRONA CONFIRMATUR Ad perpetuam rei memoriam. Quantae utilitati Populo Dei fuerit
Sanctorum cultus in eosque pietas etiam ecclesialis communitas Casertana probe novisse videtur. Illa enim non solum
Sanctum Sebastianum apud Deum Patronum ab immemorabili, verum etiam Sanctam Annam, B. M. V. genetricem,
saeculari iam consuetudine tamquam caelestem Patronam notabili venerationis cultu prosequitur. Hac de causa
venerabilis Frater Vitus Roberti, Archiepiscopus-Episcopus Casertanus, communibus cleri populique votis auditis,
electionem, ab antiquo quidem habitam et in praesentia firmissime renovatam, Sanctae Annae ut civitatis Casertanae
apud Deum Patronae rite sua auctoritate approbavit nuperque ab Apostolica hac Sede ut eiusmodi electio confirmaretur
poposcit. Nos igitur de sententia Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino, quam ratam habemus, deque
plenitudine potestatis Nostrae Apostolicae, cum res sint ad statutum ius peractae, *Sanctam Annam, Beatae Mariae*
Virginis genetricem, civitatis Casertanae apud Deum Patronam confirmamus, cunctis adiectis iuribus ac liturgicis
privilegiis secundum memoratae Sacrae Congregationis Instructionem «de Calendariis particularibus atque Officiorum et
*Missarum Propriis recognoscendis» sub n. 30. Contrariis quibuslibet rebus haud obstantibus. Volumus praeterea ut hae
Litterae Nostrae religiose serventur suosque nunc et in posterum effectus habeant. *Datum Romae, apud Sanctum*
*Petrum, sub anulo Piscatoris, die XI mensis Iulii, anno MCMLXXXIII, Pontificatus Nostri quinto.*AUGUSTINUS Card.
CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1983 - Libreria Editrice Vaticana*